



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Quoniam quis deus præter dominum? Aut quis deus præter deum
nostrum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

venire debere quæ ex operibus est. Ex qua deinde non potest aliud sequi quæ
 presumptio, contra quos dicit hic, protector est omnium sperantium
 in deo. Qui enim in via dei ambulat & uerbo eius inhærent, non in seipsis con-
 fidunt, sed in deo, a quo etiam solo proteguntur, cum illi suis se uiribus, operi-
 bus doctrinis protegant, opus enim habent pii protectore deo, cum propter
 impollutam uiam domini & pura eloquia dei semper ab impijs patiantur & ad
 positionem quærantur.

Quoniam quis deus præter dominum?
 Aut quis deus præter deum nostrum?

Protector est omnium sperantium, quia est unde possit protegere, cū præ-
 tereum non sit deus alius, qui noceat. Sic. j. Reg. ij. Non est sanctus ut est do-
 minus, neque enim alius est extra te & nō est fortis sicut deus noster. Ex quo lo-
 co David huius uersus partem posteriorem accepit, sunt enim eadem uerba.
 Hieronymus quoque hebræum זור Zur, non uertit, deus, sed fortis, dicens, &
 quis fortis sicut deus noster. Nō etiam coniunctio disiunctiua, aut, sed copula
 uia, & poni hic debet. Est enim uersus tautologicus.

Est igitur sensus consolatorius Ecclesie aduersus insultationem & iactan-
 tiam Phenanzæ istius synagogæ. q. d. Si ille protegit, quis nocebit? Si deus pro-
 nobis, quis contra nos? Quis est qui uobis noceat, si boni æmulatores fueri-
 tis? Sic & Anna. j. Reg. j. contra suam æmulam præsumptuosam eadem dixit,
 & addit. Nolite loqui sublimia gloriantes, quia non in fortitudine sua robo-
 rabitur ullus.

Deus qui præcinxit me uirtute,
 Et posuit immaculatam uiam meam.

Iterum hebraismus. Deus qui præcinxit, pro, Deus præcinxit, uel, Qui præ-
 cinxit, sicut deus meus, impolluta uia eius. Et idem uocabulum hic, immacu-
 latam, quod illic impolluta, scilicet תהמים Thamim, id est, innocentem, ut tibi,
 Cum innocere innocens eris. Supra dixit, Impollutā uiam domini, hic impol-
 lutam uiam suam iactat, Atque cum superius abunde dixerit se nō impie gessis-
 se a deo, & iustitiam suam ac puritatē manuum suarum cōfessa sit, quid denuo
 eadē toties repetit & ingeminat, uelut superfluis uerbis Battologisans?

Dixi, meo sensu, prophetam hoc psalmo Ecclesie primitiua statum in per-
 sona Christi canere usque ad uocationem gentium, ideo in principio caput eius
 Christus introductus est, deinde Euangelij prædicatio & Ecclesie ortus in Iu-
 daeis, & comparatio eiusdem cum reprobis relictæque parte synagogæ, quæ suis
 iustitijs superbiens, Ecclesie fidē irrisit atque contempsit, denique & prohibuit &
 persecuta est, sicut Pharaon filios Israel in Aegypto oppressit ne multiplicarent.

Nunc uero profectum & multiplicationē eius canere uidetur, quæ quo magis
 impij prohiberent, hoc magis fideles multiplicarent. Hunc esse sensum & uer-
 ba & sequentia monstrabunt. Virtus enim qua hoc loco se cinctam dicit, ea est,
 quæ multitudini & exercitui tribuit, sicut Isaiæ. lx. Quādo cōuersa fuerit ad te
 multitudo maris & fortitudo gentiū uenerit tibi, id est, magna uis, hoc est, grā-
 dis multitudo gentiū. Exo. xv. Pharaonē & uirtutē eius piccit in mare, Vnde
 hæc dictio תהמים, sæpius pro exercitu, quæ hic & alijs locis, pro uirtute trans-

Kk iij fertur, Sic

Continuatio
 nis ratio.